

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0108

0106

0112

0102

0117

0097

0157

0057

0207

0007

0607

1107

Ende

Anfang

97

Jussit tamen omnia scuta dejici et avelli et a parietibus abra-  
di, et in unum congesta cumulum ignem fecit supponi eaque  
combussit. Sic ergo iam nec scuta ibi sunt, nec integrae  
picturae, sed corrosae et confusae.

Alii per templum circumiverunt cum occultis ferreis in-  
strumentis, et ad loca sancta accedentes lapides sacros ra-  
debant et rodebant de eis particulas descendentes et discer-  
pentes, ut ad suas partes deferrent pro reliquis. Hoc  
quamvis speciem pietatis habeat, impietate tamen et vitiosa  
curiositate minime caret; privare enim loca sancta suo decore,  
et truncare artificiose laboribus et expensis ornata et defor-  
mare, quae ratio dictat nisi errans, vitio obfuscata? Ex hac  
stulta corrosione lapidum devenimus in magnas angustias, non  
semel, sed plus. Quadam namque vice post peregrinorum  
recessum cum per noctem in Anastasi mansissemus, inventum  
est mane, quod rupes Calvariae corrosa fuit et tabula monu-  
menti et lapis inunctionis Domini. Quod dum alii Christiani  
orientales vidissent, clamaverunt in ecclesia contra nos sicut  
contra fures et raptiores, et excitata est seditio in nos pericu-  
losa, et comminati sunt nobis, quod vellent conqueri de nobis  
dominis Mauris et Saracenis. Hoc audiens Pater Gardianus  
expavit, considerans, grande nobis imminere periculum, et  
omnes nos ad capellam beatae Virginis convocabavit et aucto-  
ritate apostolica excommunicavit corrosores nec de ecclesia  
exire permisit, quounque petiae decisae fuerunt sibi praesen-  
tatae. Et ita cum ignominiosa confusione stetimus, et omnes  
in nos tamquam in sacrilegos fremebant. Venimus etiam  
propter similem causam in magnam tribulationem ad sanctam  
Catharinam in Arabia, et profecto horrore et tremore concu-  
tior, quando recordor. Fuimus enim traditi a Calogeris ipsis  
Arabibus, quounque amara necessitate coacti fuimus ablata  
reponere. Has corrosiones non faciunt devotionis causa, sed  
aliqui nobiles curiosi, aliquarum ecclesiarum vel altarium  
patroni hoc faciunt, ut illis rebus suis ecclesiis concursum  
hominum excitent et quaestum habeant, et ita avaritia eos  
instigat, ut talia (218 A) attentent contra prohibitiones  
peregrinis factas, fol. 89 B in quinto et XVI. artic., et fol.  
110 B, in IV. et XII. art. Secus autem est de illis, qui

7

